

AD LECTOR. PRÆFATIO.

tibus certas regulas, semper eruditis rectum est visum, id quod libri testantur cum veterum ut Ptolemæi, tum recentium ut Copernici, quorum ut expedita esset intelligentia Euclides ad verbum edisci jam pridem solitus est, indeque factum ut ejus libri Elementorum diceretur, qui principia illa continerent, quæ jam animo comprehensa ad reliquas artes afferrî oporteret. Et quid aliud Pythagoræ visum possumus existimare, qui primum suæ scholæ auditorium, si ve, ut nunc loquuntur, classem infimam voluit esse mathematicorum? Nempe puerorum scholæ etiam tum erant, cum nullæ adhuc dicendi essent disciplinæ, iidemq; & puerorum custodes & Arithmeticæ Geometriæq; erant magistri. At verò in illa libera vita ubi adolescentulus deligit quod vult, rerum atq; delectus imperitus, quotus quisq; erit, qui ut ad verum studii fructum perveniat, quantum satis sit ipse sibi laboris imperare malit, quàm nescio quas nuces modo hinc modo illinc decerpere? Hinc tanta apud omnes Academiæ in Euclideo auditorio raritas semper fuit. Quarum verò artium ea ratio est, ut sola auditione satis earum facultatem assequi nequeat discipulus, his certè assidua schola assiduog; opus est magistro, qui communicando, qui exercendo, dum omnia memoriæ